

superficie eius quaedam cryſtalli apparerent; lixiuium deinde in frigidum locum reſoſui, vt cryſtallifatio adiuuaretur, ſalque ita exortum ſeorſim aſſeruauit, humorem autem, qui ipſi ſupernatabat, ruruſus calore a ſuperflua aqua ſeparauit et ad cryſtallifationem ſepoſui. Hunc laborem aliquoties repetiit, donec nullae amplius cryſtalli orientur, et tandem ſuperſtes lixiuium, quod cryſtallinae formae aſſumendae non amplius aptum videbatur, ad ſiccitatem redegit. Salinam, quae ita remanſit, maſſam cum cryſtallis accurate commiſcui, et deinde vario modo diſquiſiui. Erat autem hoc tartariſatum mercuriale ſal, quod dimidiam vnciam et quindecim circiter grana ponderabat, albi coloris, et ſapore acido ac ſimul paululum metallico, neque tamen valde corroſiuo, gaudebat. In aqua facile ſoluebatur, humidum ex aëre non attrahebat, cet. Reſidua a ſolutione mercurii calx, quum eam pura aqua abluiffem atque exſicciffem, circiter duos ſcrupulos cum dimidio ponderabat, hinc multum mercurii a tartari acido diſſolutum fuiſſe, manifeſtum eſt. Ceterum, eſſi non diffiteor, ea, quae haecenus cum hoc ſale inſtitui, tentamina ad veram eius naturam perueſtigandam non omnino ſufficere; ex iis tamen apparere arbitror, acidum tartari ſoluendae hydrargyri calci aptius eſſe, quam tartari cremorem, illudque adeo efficaci mercuriali medicinae praeparandae egregie inſeruire poſſe. Plura huius rei argumenta, quae in promptu ſunt, hac occasione non addam, ne lectoribus videar nimis prolixus fuiſſe. Quapropter ad id accedo, cuius cauſa haec omnia ſcripta ſunt.

Etenim cum SERENISSIMO PRINCIPI, FRIDERICO AVGVSTO, Patriae Patri Indulgentiſſimo, placuerit, ordinariam mihi Chemiae Profeſſionem, quae *Ridigeri* morte haud ita pridem vacua reddita eſt, demandare, pie-

C

tas